48 195

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 3. Martij.

M. EDMUNDO CHARRIER, Doctore Medico Præside.

An salubriora ex Plantis alimenta, quàm ex Animalibus?

I.

REMOTIORA humani corporis elementa, vulgata sunt quatuor: Proxima, humor; in quem connatum calor agens, indigestam molem disgregat, eamque in partes similares, & organicas, è quibus totum consurgit corpus distribuit. Hic porrò calor numquam otiosus, partes jam effictas humore semper affluente auget, & firmat; dumque agit in humorem, hunc pro re natâ versat, & immutat; crudum coquit, coctum segregat, secretum assimilat: Nec solummodo conformationem, accretionem, & nutritionem perficit, sed omnes quæ in nobis fiunt actiones caloris beneficio absolvuntur: Illius moderatione vivimus, excessu ægrotamus, defectu morimur. Sic vita calore conservatur, calor verò fovetur sanguine, & sanguis alimentorum succo instauratur. Quale igitur alimentum, talis est sanguis; qualis sanguis, talis calor; qualis calor, talis actio, ac constitutio redditur. Laudabilis sanguis ex optimis cibariis nascitur, qui si temperatus, blandum calorem sanitatis parentem servabit; si biliosus, intensiorem; unde acuti plerumque morbi oriuntur: si pituitosus, remissiorem, unde vulgò chronici: si paucus, debiliorem, qualis in valetudinariis deprehenditur; si nimius, languidiorem; ob impeditam spirituum difflationem, unde apoplexiæ, tetani, interitusque contingunt repentini. Summa itaque sanitatis tuendæ ratio, in cibis scitè eligendis, & ritè assumendis sita est, qui eò salubriores censendi, quò temperatiores, coctu faciliores, & ad nutriendum aptiores habentur.

II.

HI quidem cibi non ab omni re promiscuè petuntur, sed ab iis duntaxat quæ vitâ fruuntur; ut ex Animalibus & Plan-

tis, è quibus solis medicamenta quoque educuntur. Ex alimentorum albo metalla, lapides, & mineralia expunguntur, ut pote quæ corpus suâ substantiâ non nutriant, nec ipsi suâ qualitate medeantur. Hinc aurum potabile ad curandam valetudinem tantùm putabile: Uniones atque lapilli è quibus pretiosæ parantur confectiones, cum nihil nutrimenti habeant, nihilque medicaminis, potius idola fatuorum, quàm commenta Medicorum audiunt. Quædam mineralia, noxios licet aliquando humores dejiciant horrendo vomitu, idcircò inter medicamina saltem interna propriè haberi non debent: Ea si quidem præstent quod venena exiguâ quantitate exhibita efficere solent. Ex Animalibus alimentum, & medicamentum; sed naturæ nostræ minùs conveniens quàm quod ex Plantis deducitur. Creophagia namque propria est luporum aut vulturum, quorum vorax est calor, non autem hominis cui *lignum fructiferum & herbam seminalem dedit in escam* qui solus omnia fecit, & novit. Alimentum calori nostro accommodatum unicuique parti alendæ respondere debet: Temperatum, euchymum, & eupeptum cuivis prodest; frigidum tamen calidis naturis salubrius est, ut calidum frigidis; sic gracilibus copiosum convenit, tenue obesis, & quodlibet fit sanum sanis. Polytrophum cum euchymo sæpè ratio confundit, & dyscratum à temperato vulgò discernere nequit; quò fit ut vera cibi eligendi lex, non tam sit ratio, quàm instinctus etiam in homine cœcus, qui pro fermentationum ratione quod necessarium est appetit, nisi pravâ consuetudine, aut saporis suavitate corrumpatur.

III.

PLantas ad usum Medicum, & culinarium; Bruta veró ad vestitum, & ad alia vitæ commoda natura providè largitur hominibus. Plus voluptatis quàm necessitatis stimulo urgentur, qui ad epulas carnes animalium vocant: Hæ quippè plus saginant, quàm corporis habitum conservent. Plantæ habitui nostro convenientiores, corpus vegetum sustentant; illudque ab optimâ constitutione desciscens, unâ aut alterâ, quâ præpollent qualitate, ad mediocritatem revocant. Quid tibi optandum vitæ prorogandæ causâ, quod in plantis non reperias? Esuris? Ecce tibi tot panis, quot frugum, aut leguminum species numerantur. Panem fastidis? salivam fortè movebunt innumera radicum, caulium, olerum, herbarumque fercula. Nauseam tibi movent? Recreabit te ingens fructuum omnigenorum varietas. Stomachum

gravant? sunt fraga, Idæi rubi mora, mala armeniaca, & alia id genus stomacho innoxia. Non quovis reperiuntur tempore? Ecce tibi altera planta cujus succo, nempe saccharo fugaces fructus condiuntur; cæteri quâlibet tempestate offeruntur cuilibet tempestati, naturæ, & ætati opportuni. Nonne fraga vere, æstate cerasa, autumno poma, & hyeme nuces, amygdalæ, & molles castaneæ inveniuntur? Jam sitis te urget? Ecce tibi ex vite vita, aut ex racemis vinum, convivii deliciæ, spirituum fomes, juventutis hilaritas, lac senectutis. An abstemius? Sunt alia ex aliis fructibus vina; sicera ex pomis, & quot fructuum, totidem vini species; Ex granis zitum, cælia, cervisia; Ex baccis sorbetum; & ex radicibus ptisana. Itane tam exquisita deducentur ex animantibus esculenta? An panis vitæ fundamentum, lautior parabitur ex toto, aut parte animalis, quàm ex zeâ, tritico, aut secali? An potio ex sanguine aut humore quovis educetur suavior, quàm ex uvis Burgundiacis, aut Rhemensibus? An cupedia plura? an jucundiora? an inventu, cultu, aut paratu faciliora quàm ex Plantis quæ usquaque germinant & virescunt.

IV.

CIBI ex Animalibus desumpti, vel ab iis integris, ut ab ostreis, alburnis, cochleis; vel ab eorum partibus, putà carne, sanguine, adipe; vel ab eorum excrementis videlicet lacte, & melle, petuntur. Quæ integra devorantur non famem, sed ventrem implent. Caro vitiosum generat sanguinem aut nimis copiosum; Aliæ si quæ sint partes gulæ gratæ, stomacho erunt noxiæ. Sanguis enim hunc ipsum gravat, adeps huic nauseam parit; cæteræ non coquuntur. Lac, extractum quoddam est plantarum potius quàm animalium, quæ quidem in ore animalis conteruntur, in ventre macerantur, & per papillam in liquorem album stillantur; quare cum nundum lac facesserit in animalis substantiam, eò salubrius est, quò magis plantæ naturam redolet. Mel quoque videtur florum magisterium ab apibus elaboratum, multos habens usus, quos non tam ab animalculo quàm à plantarum flore obtinet. Juscula carnium qui præscribunt in acutis, diætam tenuem non observantes, plus naturæ reficiendæ, quàm morbo expugnando student. Qui sani carnes edunt, sanitati non consulunt; etenim animalis uitia, & mores imbibunt, dum illius carne vescuntur. Alites quæ ferinam sapiunt non comedit canis, ne vim odorandi inde amittat. Rapax ales carnivororum quadrupedum carnem vicissim refugit, nè morbum exinde con-

trahat. Solus homo rationis consiliique particeps, in victu ratione, consilioque non utitur, non instinctui, sed voluptati credens, se cibo ingurgitat, animumque unà cum corpore opplet variâ obsoniorum saburrâ.

V.

HIC licet quocumque cibo vivat, & valeat; hoc tamen illove multò salubriùs, aut insalubriùs nutritur. Qui petitur ex plantis, minùs quidem, quàm qui ex animalibus, sed salubriùs implet. Vitæ protrahendæ cibus utique necessarius est; verùm nunquam illius paucitate, sæpius exuperantiâ obruimur. Visitaque longam, felicemque degere vitam, frugi esto, nec sarcophagus. Rara quippe in esu carnium frugalitas; rarior in crapulâ sanitas. Quorum corpus in saginâ est, vulgò spiritus in macie. Polyphagia, & polyposia consuetudinis res est, non naturæ, cui nimium omne inimicum est. Multis elephantis una sylva, quidni uni homini alendo culta mundi plaga non sufficiet? quin quadrupedibus, piscibus, volatilibus utatur ad alimoniam. Gregi boum pascua præbet unicum pratum; cur hominis ventri latranti non facient satis dona Cereris, Pomonæ, Floræ, patrisque Liberi. Solus panis pro alimento esse potest, non sola caro, quæ animi pathematum, potius quàm corporis partium alimentum est. Creophagia semper noxia, vel enim vitium quoddam partibus inurit pravâ qualitate, vel plethoram substantiâ polytrophâ ingenerat, ac proinde morborum iliadem accersit. Hinc carnivori vulgò polysarci, obesi, lenti, anheli, stupidi, & somnolenti; Athletarum more citò intereunt, nisi maturè succurratur. Cyrnios Corsicæ incolas μακροβίους existimaverunt veteres quod herbis tantum vescerentur. Vitæ suæ pensum diu prorogarunt radicibus Eremicolæ. Quin & Rusticani qui frequentiùs herbas quàm carnes edunt, Urbanis vivaciores sunt. Primi sæculi homines fructibus, & frugibus contenti, ad mille annos vitam egerunt incolumes, nempè cum moderatiori, temperatiorique uterentur cibo, non indiguerunt operâ Medici, qui largâ cruoris missione superfluum detraheret, ventrisque infarctus ingratâ catharsi eliminaret.

Ergo salubriora ex Plantis alimenta quàm ex Animalibus.

Asserebat Parisiis CLAUDIUS HUGOT, Cabilonensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1678.

PARISIIS, Apud Franciscum Muguet, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.